

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

tiam suam statueret. Rom. 10. v. 3. quæ tamen coram Deo est. quasi pannus menstruata. Es. 64. 6. nec misericordiam provocat, Judith. 8. v. 12. Job. 9. v. 3.

2. *Spirituales*, qui ex fide Abrahami sunt, & in misericordia divina unice salutem suam fundant, quam nobis in filio suo Jesu Christo promisit. Quemadmodum Abraham & Sara naturaliter ratione senectutis nullum filium amplius sperare poterant, & tamen promissione Dei nixi, Deo gloriam dabant, plenissime scientes, quia quæcumque promisit Deus, potens est facere, ideo & reputatum est eis ad justitiam, Rom. 4. v. 16. Unde quoque Paulus, Eph. 2. v. 8. 9. Gratia salvati estis.

Idcirco Ismael excludébatur ab hæreditate Abrahami: Isaac vero hæres ex aere erat, omnium paternorum bonorum, ut indicaretur, justitiam non venire ex lege: sed per fidem, in omnes & super omnes, qui nuntuntur verbo promissionis. Rom. 4. 4. & seqq.

Quod igitur per duos Abrahami filios præfiguratum legimus in V. T. idem in eleganti parabola nobis Christus ob oculos ponit, quando regnum coelorum in Evangelio præsentem cum vinea comparat, in qua diversi operarii offenduntur. Nonnulli confidunt in eo, quod portaverint pondus diæ & æstus, & flagitant mercedem ex merito: Nonnulli vero in gratia Dei acquiescunt, boni consulentes grossum gratiæ, juxta conventionem patris familias. Nos absque ulteriori prælimine ipsum Evangelium accedemus consideraturi pro institutione nostratione:

I. Ανθρωπολογίαν, sive notitiam nostri.

II. Χριστολογία, sive notitiam Christi.

J. J.

Exegesis.

Hodiernam Dominicam olim *Septuagesimam* appellarunt, quia si ab ea numeres, præter propter septuaginta dies sunt usque ad resurrectionis festum, Domini nostri JESU Christi: sicut & sequentem Dominicam *Sexagesimam*, huic succedentem *Quinquagesimam*, & porro sequentem *Quadragesimam* dixerunt. Ex quo colligere possumus, quanto pii Veteres desiderio festi Paschatos flagrarint, ut ferme omnes dies numeraverint, dum *latum Resurrexit* in Ecclesia cecinerint.

Nos quoque non multos felices dies in hac miseriarum valle numerare possumus: Dies enim annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni? si autem in excellentia, octoginta anni: & latitudo eorum labor & dolor. Psalm. 90. vers. 10. Sed si Jesum nobis faventem habemus, in *media passione Latere* celebrare possumus, & cum Palmarum ramis Domino obviam procedere, qui olim tanquam symbola victoriæ adhibiti sunt, 2. Maccab. 10. vers. 7. Longe enim vincimus propter eum, qui dilexit nos, Romanor. 8. vers. 37. Et victoria, quæ vincit mundum fides nostra est, Joh. 5. vers. 37. Usque dum perpetuum Pascha in vita æterna celebraturi, latum illud *επιβίσιον* canamus: Ubi est mors victoriæ tuæ? Ubi est mors stimulus tuus? **DEO**

N 2

au-

autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum, 1. Cor. 15. v. 55. 57.

Interea *notitiam nostri* docebit nos Evangelium nostrum, quando consideramus:

I. *Operariorum conductionem.* De Paterfamilias refert Evangelista, quod primo mane exierit, ad conducendum operarios in vineam suam: deinde circa horam tertiam; iterum circa horam sextam & nonam, & demum circa undecimam. Ita vocationi suae fideliter praefuit, cum principio diei, usque in seram noctem, quod vineam suam, ut decet, colere, & ejus emolumento frui posset.

Hic examinent sese omnes Patres-familias, utrum & ipsi ejusmodi industriam commodum suum promoverint, mane & sero negotiis suis invigilando?

Hoc apprimè opus est. Licet enim nec velocium est cursus, nec fortium bellum, nec sapientium panis, nec intelligentium divitiarum, nec artificum gratia: sed tempus, casusque (eventus divinitus ordinatus & definitus) in omnibus, Eccles. 9. v. 11. attamen non in diem stertendum: sed manè surgendum est, ut ipse quasi servus sis, & rem familiarem ordines, sicut hic Paterfamilias, qui ipse in operariis conducendis operosus est, luculento tibi praestet exemplo.

Neminem hujus rei suppedeat. Homo enim natus est ad laborem, ut avis ad volatum, Hiob. 5. v. 7. & si quis non vult operari, non manducet. 2. Thess. 3. v. 10.

Paterfamilias idem est in re familiari, quod gubernator in navi. Sicut autem navis facilè colliditur aut submergitur, nisi nauclerus ad clavum sedeat, eamque gubernet: sic etiam res familiaris exitio

proxima est, & tandem pessum it, nisi à prudente Pater-familias, velut nauclero regatur.

Horologium quidem cursum suum absolvit, & definito tempore sonum edit, sed idem in tempore adornandum est, alias magis mutum quam piscis erit: sic & Paterfamilias rem familiarem justo tempore ordinare debet, si quilibet domesticorum negotia sua obire, & votis suis respondere debeat.

Tritum est proverbium: *Oculus Domini saginat equum.* Quod si verò Dominus socordiae litet, & in diem stertat, quomodo saginabitur?

Ejusmodi somnolentum excitat Salomo, quando ait: *Usquequò piger dormies? quando confurges è somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conferes manus tuas, ut dormias? & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies, quasi vir armatus.* Proverb. 6. vers. 9. 10. 11.

II. *Conductorum solutionem.* Cum enim serò factum esset, dicit Dominus vineae Procuratori suo: *Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à novissimis, usque ad primos.* Et dedit procurator cuilibet denarium suum, uti Pater-familias mandaverat.

Hic examinent se omnes Patres- & Matres-familias, & in genere omnes, qui operarios conducere & aliorum ministerio uti solent, utrum isdem sine mora & tergiversatione, meritam mercedem solverint?

Multi inveniuntur, qui lucrum putant, si operariis & famulis meritam mercedem de die in diem, de septimana in septimanam, imò de anno in annum protrahant,

vel plane
fraude
suo de
quicquid
peribat,
tenebat
Hoc
sic, non
fratris p
morata
sed ead
fui, a
vers. 14
Equi
qui non
taxa
quam
que,
aut en
& dar
Ibi sa
mum
minos
exige
bet il
imper
Ca
obler
fuo
aliqu
dem
otri
vers.
pecca
nil ha
quira
graver
le ex
qui M
mari

vel planè negent, variisque technis eos defraudent, uti Laban, qui industrio genero suo decem vicibus mercedem immutabat, quicquid à bestia laceratum erat, aut furtim peribat, vel interdium vel nocte, ille reddere tenebatur. Gen. 31. v. 39.

Hoc injurium est. Deus enim severè iustit, non negare mercedem indigentis, & fratris pauperis, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est: sed eadem die reddere ei, pretium laboris sui, ante solis occasum. Deuteron. 24. vers. 14.

Equidem infideles inveniuntur famuli, qui non ex animo, sed præ oculis duntaxat serviunt, plus damni inferentes, quàm emolumenti adherentes. Fit quoque, ut ex negligentia vel oscitantia aut etiam malitia heris incommodent, & damno rem familiarem impleant: Ibi sanè ipsa rei æquitas postulat, ut damnum illatum refarciant. Attamen Dominorum est, non ad amissim omnia exigere, sed locum quoque hinc habet illud Friderici Imperatoris: *Nescit imperare, qui nescit dissimulare.*

Cæterum pii Patres & Matres familiâs observent regulam senioris Tobia, quam filio suo præscripsit: Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarii tui, omnino apud te non remaneat. Tob. 4. vers. 15. Quicumque enim hac in parte peccant, ansam præbent mercenariis, qui nil habent, nisi quod manibus suis acquirunt, ut ad Deum suspirent, & sæpe gravem ab eo vindictam impetrent. Quale exemplum in Pharaone conspicimus, qui Israëlitis mercedem subtrahens, in mari rubro suffocabatur, Exod. 14. v. 28.

Siracides succinctè quidem, sed nervosè ait: Panis egentium, vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Sir. 34. v. 25.

Nemo proinde operarios debitâ mercede defraudare debet, ne pro tantillo lucro majus damnum accipiat, & Dei gravem offensionem incurrat. Hoc enim Deus, qui ipsos ad tui emolumentum, ut tibi inserviant, creavit, non inultum abire sinet. Ecce: merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum, qui messuerunt, in aures Domini Sabaoth introivit. Condemnastis & occidistis iustum, & non restitit vobis. Jac. 5. v. 4. 6.

III. *Solutorum murmurationem.* Primi, quia diutius in vinea laboraverant, & diei pondus & æstus portaverant, persuaserunt sibi, se plus quàm reliquos accepturos, qui partim unam saltem horam opus fecerant: spe verò hâc decollatâ, non saltem lîmis oculis adspexerunt collaborantes: sed & cum Procuratore expostularunt, quòd novissimos sibi pares fecisset. Hæc mera invidia erat, quæ adhuc hodie non infrequens, sed maximè vulgaris est, dum nemo non veretur, ne à contribute vel vicino in lucro capiendo exuperetur, quod jam tum suo tempore innuere voluit Ascræus ille Poëta: *Καὶ κεραιμὺς κεραιμὴν κολέει, ἔ τέλει τέκτων, καὶ πλωχὸς πλωχὴν φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδίῳ.* Et figulus figulo succenset, & faber fabro, Et mendicus mendico invidet, cantorque cantori.

Imò sæpius contingit, ut alter alterius felicitatem, quacunq; ratione potest, impeditum eat, sicut Palæstini invidentes omnes puteos obstruxerunt Isaac, quia benedixerat ei Dominus. Gen. 26. v. 14.

Hic explorent se illi, qui mercedem merentur, annon & ipsi interdum aqnitatis linceas transfilerint, aut aliis fortunas suas inviderint?

Hoc nimis familiare est, in hac mundi fece, ut illi experiuntur, qui ad operas rusticas aliorum servitio indigent. Ubi servi & mercenarii tantam sæpe mercedem requirunt, ut tartaream eorum ingluviem implere vix possis. Adde, quod cibo & potu non satis opiparè tractari, nec verbis satis blandè compellari possint. Hoc sæpe dolorem injicit piis Patribus-familiàs, & tamen operà eorum carere non possunt, cum intereà multa aculeata verba digerereteneantur, subinde à talibus, quos non digneris ponere cum canibus gregis, Hiob. 30. v. 1. Imò esse oportet, tanquam surdum, qui non audit, & sicut mutum, qui non aperit os suum. Et sicut homo, qui non audit, & quasi non habet in ore suo redargutiones. Psalm. 38. v. 15. 16. Ea enim jam atas adest, ubi puer superbit contra fenem, & homo inhonorabilis contra virum gravem. Esa. 3. v. 5. Sed veniet aliquando tempus, ubi Dominus servum ejusmodi nequam dividet, Luc. 12. vers. 46. & unusquisque quod fecerit, à Domino recipiet, sive servus sit, sive liber. Eph. 6. v. 8.

Sic invidiam quod attinet, ea tam familiaris est hoc tempore, ut civitatem, pagum. imò domum nullam ab ea immunem reperias. Sed vitium est turpissimum & nocentissimum. Turpissimum, quia ab ipso tartaro à Dæmonibus exulare videtur, juxta Chrysostomum: *Invidet Damon, sed hominibus, non Dæmoni: tu verò cum homo sis, invides hominibus, & quomodo veniam conse-*

queris? Nocentissimum verò, quia ipsi incommodat auctori. Unde iterum Chrysostomus: *Melius est, in corde habere viperam, quàm invidiam.* Viperam enim corpus modò veneno inficit: invidia verò opus carnis est, præcipitans & animam & corpus in gehennam. Galat. 5. vers. 18. seqq.

De Secundo.

Progrediemur nunc ad alteram partem, *Xγςογνωςία*, sive notitiam Christi contemplaturi. Hic nobis proponitur

I. *Tanquam celestis œconomus*, qui non modò domum Universi hujus in esse suo conservat, dans omnibus vitam & inspirationem, Actor. 17. v. 25. & aperiens manum suam, implens omne animal beneplacito, Psalm. 145. v. 10. sed etiam domum spiritualem ecclesiæ Pastoribus & Doctoribus instruit Eph. 4. v. 11. & verbo & sacramentis animas gratiæ cupidas nutrit, ne desiccant in via, Marc. c. 8. vers. 3. dans lapsis virtutem, & robur multiplicans, Eph. 40. v. 29. ut dignè Evangelio Christi illi conversentur, Phil. 1. vers. 27. donec tandem, sine obtento, ambulent coram Domino in regione vivorum. Psalm. 116. v. 9.

Chrysostomus scribit, idcò vocari Christum œconomum, quia tres familias sustentat. *Triumphantem in cælis, propter gloriam, trepidantem in inferno propter iram, & militantem in terris per gratiam.*

Hoc nobis consolationi esse debet. Tempora subinde sunt misera, res familiaris

diffi-